



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel  
Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt XLVII. a Spiren. Argentin. & Vvarmacien. Episcopis, pro  
deliberatione Salernitan. Archiepiscopi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](#)

## CAP V T XLVII.

*a Spiren. Argentin. & Vvormaciens. Episcopis, pro deliberatione  
Salernitan. Archiepiscopi.*

**Q**uanta presumptionis, & temeritatis existat in rectores Ecclesie manus injicere violentas, in Evangelio Dominus protestatur, qui se in ministris suis affligi afferuit, & in Apostolorum Principe alibi se prohibuit iterum crucifigi. Hoc etiam poena qualitas manifeste declarat, cum excommunicationis sententia in ipso actu feriat delinquentes, si non solum in fratres, & Coepiscopos nostros, sed etiam in minoris ordinis clericos violentiam presumptionem operari. Ne autem solos violentia huius auctores aliquorum presumptionem crederet esse punitos, b facientes, & confessantes pari poena plectendos canonica censura condemnat, eos etiam delinquentibus favere interpretans, qui cum possint, manifesto facinori defuncti obviare. Quod bona memoria C. Papa predecessor noster haec tenus diligenter attendens, autores, & fautores captionis, & detentionis ven. f. n. d Salernitani Archiepiscopi excommunicationis nuntiasset vinculo innodatos, nisi per Imperiales nuncios sape fuisset ei, ac firmiter repromissum, quod idem Archiepiscopus sine dilatione qualibet libertati pristina redderetur. Ne autem detentio ejus nobis de cetero imputetur, si circa liberationem ejus inventi fuerimus negligentes, fraternitati vestra per Apostolica scripta mandamus, & districte precipimus, quatenus nobilem virum V्वicel de Beret ex parte nostra diligentius moneatis, ut eundem Archiepiscopum à detentionis sua carcere absolutum ad nos cum honore remittat, nobilitatem ejus gratiarum actionibus prosequentes, quod circa eum spiritum compassionis exhibuit, & quantum licuit, solatum ei humanitatis impedit. Quod si (quod non credimus) ad monitionem vestram, & venerabilis fratris nostri Sutrini Episcopi, & dilecti filii Abbatis sancti Anastasii, quos ad hos specialiter destinamus, eum dimittere noluerit, excommunicatione ipsum publice g nuncietis: & si qua forsan ab aliquibus Ecclesiis beneficia possidet, ea ipsi per censuram ecclesiasticam auferri mandantes, totam terram ejus, immō totam diocesim, in qua idem Archiepiscopus detinetur, vel ad quam translatus fuerit detinendus, supponatis sententiae interdicti. Nos enim dilectis filiis Capitulo Maguntin. dedimus in mandatis, ut sententiam vestram faciant inviolabiliter observari. Volumus autem nihilominus & mandamus, ut universis Alemaniae Principibus in remissionem suorum criminum injungatis, ut sollicitudinis sua studium efficaciter interponant, quod eis mediantibus Archiepiscopus ipse liberè ad nos quanto cius revertatur: significantes eis, quod si id (quod absit) impletum non fuerit, intotam Alemaniam interdicti cogemur sententiam promulgare. Quod si omnibus. &c.

## NOTÆ.

- I. a **S**pirenſi.] In hac sexta collectione, & in quarta, sub hoc tit. cap. 4. tantum legitur idem: sed inscriptionem, & literam restituo ex ipso Registro epistolorum Innocentij correcto à Sirtero Cardinali, ubi lib. 1. fol. 10. reperitur textus hic. Spirenſis Cathedralis Ecclesia est in Germania suffraganea Archiepiscopi Moguntini, cuius Praelato Othoni videlicet, qui fuit Comes Enemberg. in praesenti reſcritum Innocentius. Argentina etiam Ecclesia est in eadem Metropoli, ut probavi in cap. venerabili, de prab. cuius Praelato, Conrado videlicet, missa est praesens Decretalis. Similiter & Vvormaciensis (italendum) est in Germania sub eodem Archiprefule, ut probavi in cap. de censibus. Eius Episcopo Leopoldo in praesenti scribit Innocentius.

b facientes, & consentientes.] Iuxta tradita in cap. 1. de offic. deleg.

c Obviare.] Consonant textus in cap. negligente 5. 2. quest. 7. cap. qui potest. 8. 23. quest. 4. cap. 1.

cap. error. cum sequent. 83. dift. cap. 1. cap. facientis 3. 86. dift. loc. pag. 50. l. nullum 109 ff. de R. l. 4. 2. §. 1. 3. & 4. ff. de noxal. Et sane paremiale est, & decantatum illud Seneca in Troade: Peccate qui non prohibet cum potest, jubet. Cui consentiunt Arnobius lib. 2. advers. Gentes, ibi: Cum non prohibendo quod oportenerat prohiberi, cessatione crimen fecerit proprium, & retentionis dissimulatione permisit prius. Salvian. l. 7. de provid. Potestas quippe magna, & potentissima, qui inhibere scelus maximum potest, quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari: in cuius enim manu, si ut prohibeat, jubet agi, si non prohibet admitti. Petrus Blesensis epist. 146. ipsa taciturnitas ejus presumitur ad consensum: videtur enim consentire, qui cum posset, & deberet, non corripit: & dissimulatrix patientia societatis occulta scrupulo non carebit. Alia in eandem sententiam congeserunt. Ritherusius ad Salvianum, pag. 323. Delidor, Heraldus, & Bulengerus ad Arnobium ubi supra. Petrus Faber, & Goerhofredus in dicta locupla, & dift. l. nullum, Amayna in l. 3. Cod. de canone largit. num. 16. Solorzanus emblem.

*emblem. ad praxim. ; notarunt Flores de Mena lib. 1. quæst. 18. P. Mendo lib. 3. de jure Academ. quæst. 37. & nos in cap. 3. de hereticis.*

*d Salernitanus.] Nicolai videlicet ; nam anno 1194. defuncto Tancredo Rege Siciliæ Henricus Imperator injurias ulturus , & ut Regnum illud occuparet , copias paravit . Willenmus autem Tancredi filius una cum matre , & fororibus , viribus suis non fidens in prærupti montis Caltabioœ castrum confugit . Imperator Messianâ , aliisque urbibus Siciliæ blandè allectis , sub pollicitationum simulatione , idest , ut si Willenmus regno se abdicaret , ei Taranti Principatum , ejusque matti Comitatum Lecii ipse elargiretur , Willenmum Regem , Siviliam matrem filiaque in potestatem suam redegit , Kal. Januarii , anno 1195. ut referunt Baronius anno 1194. Facet in decad. fol. 472. Sed perfidus Imperator eos omnes cum Nicolao Archiepiscopo Salernitano , Richardo Comite Ayelli , Rogelio fratre Matthei Cancellarii , Episcopo Ostrunensi , & Tranensi , aliisque Regni Proceribus in Germaniam veterem coegerit , ibique suppliciis af-*

*fectos carceri mancipavit . Sed Innocentius III. præfenti epistolâ , & alia misa Episcopo Sutriensi , & Abbati S. Anastasiæ , ut inde educerentur , curavit . Ergo excommunicationis minis per Episcopos intentatis , adnitente etiam Philippo Suevia Duce , ipsius Imperatoris fratre , omnes pristinæ libertati sunt restituti , excepto Rege , qui Regno exauthoratus , oculis erutis , atque genitalibus rebris , carceri ad mortem usque mancipatus fuit , ut refert D. Rochus Pitro in chron. Reg. Sicilia , anno 1194.*

*e Sutriini.] De Ecclesia Sutriensi , seu Sutrina , egi in cap. cùm Ecclesia , de causa possit. ¶ propr.*

*f Sancti Anastasiæ.] Legendum est sanctæ Anastasiæ , quod monasterium Ordinis est D. Benedicti in Sicilia , & ipsius Abbatia præsentatio spectat ad nostrum Monarcham , ut refert , & probat Barboſa lib. 3. voto 89. in princip.*

*g Nuncietis.) Quia manus violentas injecisse creditur , qui clericum in carcere , aut simili loco detinet , cap. 2. hoc tit. in 2. collect. ubi probavi in cap. cùm desideres , hoc tit.*

## CAPUT XLVIII.

Idem in Concilio<sup>a</sup> Generali.

**S**Acro approbante Concilio prohibemus , ne quis in aliquem excommunicationis sententiam , nisi competenti commonitione præmissâ , & præsentibus personis idoneis , per quas , si necesse fuerit , possit probari monitio , promulgare præsumat : quia si contraria præsumperit , etiâ b) iusta fuerit excommunicationis sententia , c) ingressum Ecclesia per mensem unum sibi noverit interdictum , aliâ nihilominus poena mulctandus , si visum fuerit expedire . Caveat etiam diligenter , ne ad excommunicationem cuiusquam absque manifesta , & d) rationabili causa procedat : ad quam si forte taliter processerit , & requisitus humiliter processum hujusmodi non curaverit absque gravamine revocare , gravatus apud e) superiorum judicem deponat de injusta excommunicatione querelam : quod si absque periculo mora potest , ad excommunicatorem illum cum suo mandato remittat , intra competentem terminum absolvendum , alioquin ipse vel per se , vel per alium , prout viderit expedire , sufficienti cautione receptâ , munus eis absolutionis impendat . Cumque adversus excommunicatorem de injusta excommunicatione constituerit , excommunicator condemnetur excommunicato ad interest , alias nihilominus , si culpæ qualitas postulaverit , superioris arbitrio puniendus , cum non levis sit culpa tantam infligere poenam insonti , nisi forsitan erraverit ex causa probabili , maximè si laudabilis opinio nis existat . Verum si contra excommunicationis sententiam nihil rationabile fuerit a consuente probatum , idem & super injusta excommunicationis molestia per poenam ad interest , vel aliam secundum superioris arbitrium , nisi forsitan & ipsum probabilis error excusat , & super eo , pro quo iusta fuerit excommunicatione ligatus , per cautionem receptam satisfacere compellatur , vel in pristinam reducatur sententiam usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observandam . Si vero iudex suum recognoscens errorem , paratus fit talem revocare sententiam ; & is , pro quo lata fuerat , ne absque satisfactione revocet illam , appellat , appellatio non deferat in hac parte , nisi talis error sit , de quo meritò debeat , vel valeat dubitari : & tunc sufficienti cautione receptâ , quod coram eo , ad quem exituit appellatum , vel delegato ab ipso juri parebit , excommunicatum absolvat , sicutque poena subscriptæ minimè subjacebit : Cavens tamen omnino , ne voluntate perversa in alterius præjudicium mentiatur errorem , si distinctionis canonica vult effugere ultiōnem .

## NOTÆ.

<sup>a</sup> **G**eneralis .] Lateranensi videlicet , ut legitur in quarta collectione , sub hoc tit. cap. I. & reperitur textus hic in ipso Concilio , can. 47.

b) Inßa.) Ex causa videlicet , nam quod ordinem judicialem iusta est , ut statim dicemus .

c) Ingressum Ecclesia .) Quæ poena etiam statuta reperitur ex aliis causis in cap. is qui , hoc tit. in 6. cap. Episcoporum 8. de privil. eodem lib. cap. praesenti ,

I.